



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 112. An hoc qualiter oriatur hoc impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus incertis, vel sub conditione contractis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

bus validis, omnino tamen occultis non oriri impedimentum.

3. Resp. ad secundum: Ex matrimonio irritato aliunde quàm ex defectu consensûs, sicut olim oriebatur hoc impedimentum, & quidem usque ad quartum gradum, ut constat ex *cit. c. unic. h. t. in 6. Castrop. c. p. 10. n. 3.* ita & hodie dum pari modo nascitur ex sponsalibus de præsentem seu matrimonio irritato, non ex defectu consensûs (vel etiam, quia contractum in præjudicium priorum sponsalium de præsentem, seu matrimonii contracti cum alia, ut *Castrop. n. 3. §. neque item*) sed ratione alterius impedimenti, v.g. in specie ex defectu solennitatis, seu quia clandestinè contractum, Ita contra *Sanch. L. 7. d. 30. nu. 13.* asserentem ex matrimonio rato celebrato clandestinè nullum nasci impedimentum. *Pont. L. 7. c. 35. in fine. Hurt. l. c. dist. 2. num. 7. Castrop. l. c. & apud hunc Barbol. Farin. ad Sess. 24. c. 3. Trident. Rebell. in append. testantes sic decilum à S. Congregat. his expressis: Præsupposita declaratione per Constitutionem Pii V. super hoc decreto (scilicet Sess. 24. num. 3.) censuit congregatio oriri impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsentem etiam nulliter contractis omiſſâ formâ Trident. Sess. 24. c. 1.*

4. Atque his jam resolves, quid dicendum ad quæstionem, an sponsalia à pubere contracta cum minore septennio pariant impedimentum publicæ honestatis; nimirum respondendum affirmativè, si major septennio cum puella minore quidem septennio, eidem tamen proxima, in qua malitia supplet ætatem, contraxit sponsalia; quia dicta sponsalia non sunt invalida. Et hic est casus decisus in *c. juvenis, h. t.* ideo enim ibi deciditur contracta sponsalia illa à juvene pubere cum puella septenni peperisse hoc impedimentum publicæ honestatis; quia apparebat puellam illam esse propinquam septennio, & in illa malitiam suppluisse ætatem. Non verò illud natum tantùm ex nisu ad copulam, quo fortè juvenis ille tentavit illam carnaliter cognoscere, Ita *Abb. ad cit. c. juvenis. num. 4. Barbol. num. 3. & 4. & ex illis Pirh. num. 32.*

*Quæst. 112. An & qualiter dicatur hoc impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus incertis, vel sub conditione contractis.*

1. Resp. ad primum: Non oritur hoc impedimentum ex sponsalibus incertis; ut si quis promiserit se ducturum unam ex filiabus Titii, & illa consenserint, *Sanch. L. 1. de sponsal. d. 26. n. 1. & l. 7. d. 69. num. 1. Pirh. nu. 37. juxta l. unic. h. t. in 6.*

2. Resp. ad secundum: Ex sponsalibus vel etiam matrimonio contractis sub conditione de futuro impedimentum hoc non oriebatur olim ante eventum conditionis. *Castrop. num. 3.* sed nec modò oritur ante impletam conditionem; quia, cum conditio suspendat consensum usque ad eventum conditionis, efficit, ne sponsalia vel matrimonium ante illius adventum effectum habeant, seu sint valida, nimirum ex defectu consensûs; adeoque cum Trident. dicat; ex quacunque ratione non sint valida, non causare hoc impedimentum, illud non causabunt, *Castrop. Pirh. ll. cit.* Atque ita si quis contraxerit sponsalia de præsentem

seu matrimonium cum sorore illius, cum qua contraxerat antecesserit sponsalia conditionata ante eventum conditionis, valebit hoc matrimonium. Si verò contraxerit post illa sponsalia conditionata, alia sponsalia absoluta cum sorore sponsæ istius prioris ante eventum conditionis, nullum ex illis orietur impedimentum, quippe invalidis; quia contracta in præjudicium prioris sponsæ, cum tenebatur expectare eventum conditionis; adeoque poterit, & post eventum conditionis debeat ducere priorem sponsam. *Castrop. cit. nu. 3. in fine.* Impleta verò conditione mox oritur hoc impedimentum; quia jam evadunt sponsalia pura, absoluta, & valida. Et quidem eo ipso absque novo consensu in eorum sententia, qui docent, ea absque novo consensu subsistere. Secus ante novum consensum in eorum sententia, qui tenent novo consensu opus esse. *Castrop. l. cit. Dixi: Ex sponsalibus contractis sub conditione de futuro. Nam si sit conditio de præsentem vel præterito, statim oritur hoc impedimentum, si conditiones veræ sunt. Pirh. l. c. Arg. cit. c. unic. Quòd si etiam conditio sit de futuro impossibili aut turpi, ita, ut non sit contra substantiam matrimonii, statim oritur hoc impedimentum; quia, cum ea conditio habeatur pro non adjecta, sponsalia manent pura & absoluta. Sanch. cit. d. 69. num. 6. Pirh. num. 38.*

*Quæst. 113. An hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus validis, sed mutuo consensu, aut alio ex capite dissolutis.*

1. Resp. primò: Impedimentum hoc perpetuum esse, & morte alterius sponſorum non cessare, docent *Sanch. L. 7. d. 68. num. 21. Laym. cit. c. 9. num. 3. Pialec. in pr. Episc. p. 2. c. 4. Castrop. cit. p. 10. num. 9. Pont. L. 7. c. 36. nu. 9. Gutt. c. 103. num. 11. Hurtad. d. 21. dist. 1. nu. 5. Rebell. in append. ad l. 4. num. 99. Farin. ad cit. c. 3. Trid. eò quòd illa sponsalia simpliciter ac in perpetuum fuerint valida. Et constat ferè hoc ipsum ex *c. Siquis uxorem. 27. q. 2. ubi: Si quis uxorem desponsaverit vel subarrhaverit, quanquam postmodum praveniente die mortis ejus nequivit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguineis ejus licet eam accipere in conjugio. & c. seq. ubi: Siquis desponsaverit uxorem, & si praveniente die mortis, sive irruentibus aliis causis, minime eam cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguineis (quod tamen modò intellige intra primum gradum) eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.**

2. Resp. secundò: Durare quoque hoc impedimentum post soluta sponsalia mutuo consensu aliave de causa, tenent *Pialec. Sanch. Laym. ll. cit. Fagn. in c. ad audientiam, h. t. num. 29.* ubi ait: ad hanc quæst. an sponsalibus validè ab initio contractis, dein mutuo consensu dissolutis sit sublarum impedimentum justitiæ publicæ honestatis pluries fuisse propositam, ac maturè examinatam, congregationem Cardinalium sub die 6. Julii 1658. censuisse non esse sublatum. Cujus sententiæ unà cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem congregationis in hac materia responsis, factâ relatione ad Sanctissimum, Sanctitatis sua die 10. ejusdem mensis prædictam ejusdem Congregationis resolutionem probavit, eandemque